

Genes. 38. Chaldaic. Lyppom.

Odollamitem, Genes. 38. n. 20. seu, ut legit Chal- daicus: Per manus amici sui Odollamita; seu ut vertit Lyppoman. Per manus socii sui. Car Iudas non sibi retinet amicum, sociumque suum; sed eum à se disjungi patitur, atque unius hodi nuntium destinat? omnibus namque valde insi- tum est, ut suas abscondant turpitudines, nulli- que manifestent, prudenter, decrevit Judas, defe- ctus suos nulli alij aperire, nisi tantum amico fi- dei, cui cordis sui secreta libenter committebat. Lyppoman. Per manus, inquit, familiaris amici arhabonem repetit & hadum de capris transfudit, secreta sua credebat certius.

Idem.

Ioannis 2. n. 25. Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.

VERSIONES.

- Syriacus. Nec indigeret, ut quisquam ei testaretur de quovis: homines enim ipse noverat, & quid esset in homine.
Vatablus. Nec opus haberet, ut quis testaretur de homine.
Euthymius. Ut testimonium ferret de homine.

EXPOSITIO.

122.

EVANGELISTA hic in fine capituli reddit rationem omnium, quae supra dixerat; quare scilicet Christus Dominus non se credebat eis, & quomodo omnes nosset: ait enim, Et opus ei non erat, &c. Ad hanc perfectam notitiam necessarium ei non erat hominis testi- monium, ut indigent homines: Ipse enim sciebat, quid esset in homine; quod proprie significat: Ipse occulta cordis penetrabat arcana, omnesque hominis actiones futuras, Jeremiae 17. num. 10. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. 1. Reg. 16. num. 7. Homo enim videt ea, quae appa- rent, Dominus autem intuetur cor. Job. 26. n. 6. Nudus est infernus coram illo, & nullum est ope- rimentum perditioni. Ecclesiastic. 23. num. 28. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profun- dum abyssi, & hominum corda intuentes in abscon- ditas partes, Domino enim Deo, antequam crearen- tur, omnia sunt agnita, Optime N. D. Cyrillus lib. 2. cap. 37. Albert. Magnus, D. Thomas, D. Bonavent. Beda, Hago & alij observant, hac omnimoda Christi scientia voluisse Evangelistam manifestare ejus divinitatem; solus enim Deus agnoscit intima cordis. 3. Reg. 8. n. 39. Quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Et idem jam supra dixi de cognitione futurorum.

Jerem. 17. 1. Reg. 16. Job. 26. Eccl. 23.

Cyriill. Alb. Magn. D. Thom. Bonavent. Beda. Hago. 3. Reg. 8.



CAP. III.

Iesus loquitur cum Nicodemo.

Ioannis 3. n. 1. Erat autem homo ex Phari- saeis, Nicodemus no- mine, Princeps Judaeo- rum.

VERSIONES.

- Syriacus. Erat autem ibi homo unus ex Pharisaeis, cui no- men Nicodemus.
Mariana ex Græco. Erat homo quidam ex Phari'aeis, Nicodemus nomine, ex primoribus, vel ex magistratibus.
Sâ. Erat homo unus.
Beaulxames. Nicodemus nomine ex se- nioribus, & præcipuis Synagogæ doctoribus.

EXPOSITIO.

OTUS est noster Joannes, ut osten- dat, Christum Dominum verum Christum ve- rum Deum, & verumque esse Messiam. Pri- mo ex generatione æterna, ut cap. 1. n. 1. Deinde ex operibus, & secundò ex miraculis, ut in Cana, & alia signa quæ fecit, ut cap. 2. num. 23. Et tertio ex dono Prophetiæ, ut ex prædictione suæ mortis, & resurrectionis: Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud, cap. 2. num. 19. Et tandem quarto ex regeneratione, ac admirabili doctrina, tam hic cum Nicodemo, quam cap. 2. cum Samaritana. Et connectit Evangelista hic in præsentis textu hanc historiam cum superiori- bus; dixerat enim cap. 2. num. 23. Quod cum es- set Ierosolymis, multi crediderunt in Jesum, vi- dentes signa ejus, quæ faciebat: unus autem ex his erat Nicodemus, ut clarius habet Syriacus. Erat ibi homo.

Quinque autem in hoc magno viro notat Evangelista, naturam, professionem, nomen, di- gnitatem, ac genus. Primo natura, homo erat; & valde singularis, & ita legit Sâ, homo unus: si- quidem agnovit veritatem inquirere; quia est valde unus, & singularis homo, qui de salute agit, A paucis de terra divide eos, id est, à justis, Plalm. 16. num. 14. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Vel unus dicitur Nicodemus, valde singu- id est, primus ex principibus. Factum est vespere, & manè dies unus; id est primus, Genes. 1. n. 5. qui de salute agit. Vel unus, id est, primarius, seu præcipuus. Do tibi partem unam, Genes. 48. num. 12. Hebraice, & Chaldaice, partem præcipuam, seu honorificam. Professione Pharisæus erat pro tunc, saltem ha- bitu, & nomine, gens religiosa, Et Evangelista hanc

Religiosus status nobilissimus.

hanc prius in eo conditionem notat, quam ejus nomen, principatumque describat, qua religio- sus status omni alia dignitate est multo præstan- tior, nomine Nicodemus magnarum rerum præ- sagium denuntians. Dignitate Princeps, seu, ut alii legunt; ex primis magistris, & senioribus, Genere Judæus, & etiam ex tribu-Juda, ut vult Toletus, proindeque ex eadem ac Christus Do- minus, & ideo, fortasse hic est unus ex primori- bus, quos Christus Dominus cepit illuminare. Charitas à suis exorditur. Vide lib. 1. & 2. num. 70. & cap. 5. num. 50. Et hæc omnia latius in quæ- stionibus.

Tolet.

Charitas à suis incipit.

3. Lyrano. Carthuf.

Joan. 2.

Dubitatur, quo in loco hic sermo habitus fue- rit: Dicendum est cum Lyrano, & Carthusiano, & aliis, quod Ierosolymis. Et patet ex fine ante- cedentis cap. 2. num. 23, ubi dicitur, quod cum esset Ierosolymis, multi crediderunt in eum. Nec obstat, quod in hoc capite, in fine hujus historiæ dicitur Christum venisse in Judæam; hæc enim ver- ba non repugnant, ut suo loco dicam.

QUESTIO I.

Quare Evangelista, dum incipit hanc historiam scribere, Nicodemum appellet hominem?

4.

Ibid.

5. Rupert.

Alb Magn. Carthuf.

Illo dicitur homo qui ratione ducitur.

Genes. 4.

Euseb.

Facile poterat Evangelista verbum homo hic omittere, & tantum dicere: Nicodemus ex Pharisæis Princeps Judæorum venit ad Jesum nocte; sicut quando cap. 2. num. 23. scribit credentes in Christum, quibus Jesus non se credebat, poterat dicere: Multi homines crediderunt; & tamen nomen hominis ibi sup- primit, ut notat Rupertus citandus: ergo dum illud hic ponit, ex magno mysterio factum esse putandum est.

Respondet primò Rupertus lib. 3. in Joan. Hic homo, ait, non tam pro natura, quam pro ratione dici estimandus est; siquidem & illi, quibus Jesus non credebat semetipsum, omnes quidem natura homines erant; sed quia non rationabiliter quere- bant ea, quæ nesciebant, quodammodo homines non erant. Hic autem, scilicet Nicodemus: Deo fa- vente, in his, quæ vidit & audivit, rationis ope usus est. Et similiter Albertus Magnus, ac Car- thusianus. Cum enim intellectio, ac ratio sit præ- cipua hominis operatio, ob quam dicitur homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei, Ge- nes. 1. num. 27. Ecclesiast. 17. num. 1. Et quia Ni- codemus videns in exordio prædicationis Chri- sti mirabilia ejus, atque signa, ratione ductus ad ipsum venit, ut de salute quæret, & quia illi cre- dentes æmulate credebant, non perpensa ratio- nis libra, ut superiori cap. dixi, ideo non hi, sed ille dicitur homo, cum ratione sit usus, ut declinet malum, & bonum sequatur. Magnus, & valde celebris ille Adami nepos, qui cepit invocare no- men Domini, Genes. 4. num. 26. dicitur esse Enos: qui interpretatur homo. Sed cur commune ge- neris humani nomen huic appropriatur: Euse- bius lib. 3. de præparat. Evang. cap. 3. Apud He- braeos, ait, Enos versus homo interpretatur. Nemi- nem enim putam esse verum hominem præter eum, qui verum Deum cognoscit, & pie colit; alios vero

nihil à pecoribus differre, arbitrantur; quia veluti bestia ad terram proni, ventri & Veneri obediunt. Similiter D. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 18. Cur, inquit, huic proprie tribuitur, quod piorum August. omnium intelligitur esse commune, nisi quia oportebat in eo præfigurari hominum societatem; quæ non secundum hominem in re terrena felicitatis, sed secundum Deum vivit in spe felicitatis æternæ. Cum in hoc Patriarcha propria hominis præfi- guraretur conditio, ipse enim cepit invocare no- men Domini; seu, ut Septuaginta legunt Spe- ravit invocare nomen Domini; & ut Lyppoma-Lyppom- nus testatur: Cepit facere imagines in Dei cul- tum. Cum igitur homo ex ingenita ratione in Dei cognitionem, venerationem, cultumque ma- xime tendere debeat; ideo huic Patriarchæ com- mune humani generis nomen darum. Et qui ab hac hominis propensione declinarunt, homi- nis nomine censentur indigni, ut ait Ilias de civitate, quæ erant plena populi: Veni, & non erat vir: Iai. 50. num. 1. Septuaginta, Non erat homo.

Secundò. Homo dicitur à fortitudine: Domi- nus quasi vir pugnator, Exod. 15. num. 3. Septua- ginta: Dominus quasi vir pugnator. Dicitur ho- mo Nicodemus ob magnam fortitudinem, & constantiam, qua sprevit, & contempnit difficul- tates insurgentes ne ad Christum veniret: nam quamvis esset Princeps, & magister; ut dicam se- quenti versu, non erubuit Christum querere, & ipsum interrogare. Accinge, sicut vir, lumbos Job. 38. tuos, Job. 38. num. 3. seu, ut alii transferunt, Sicut Gregor. homo. D. Gregorius lib. 28. moral. cap. 4. Scriptu- ra, ait, sacra viros vocare consuevit, quia vias Do- mini fortibus; & non dissolutis gressibus sequuntur. Unde & sapientia in proverbis dicit: O viri ad vos clamio, Proverb. 8. num. 4. Proverb. 8.

Tertio. Rupertus citatus ita ait; Vir rationalis homo scilicet Nicodemus, præparavit, se ad perci- pienda ea, quæ Dei sunt; forti argumentatione contexit, ita proponens: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister, Homo dicitur Nicodemus, Homo dicitur quia, non ut brutum torpescit in stibulo, sed ut se disceret rationale animal se disposuit, & præparavit, ut exiret à cæcitate, ac tenebris; & perveniret ad lucem, ac gratiam. Valde enim ingenitum est homini, ut perfecte expolitus sit, quod multi- plici antecedente dispositione aptetur, ac accom- modetur ad bonum. In primo rerum molimine, dum conderet universa, Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux: fiat firmamentum & factum est ita. Gen. 1. n. 3. Cum vero ad creationem hominis devenitur, ait Deus: Faciamus hominem ad imagi- nem, & similitudinem nostram, ibid. n. 26. & ite- rum: Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiracu- lum vite. Gen. 2. n. 7. Ex quo colligunt, D. Chry- sost. hom. 12. & 13. in Genes. Abul. in e. 2. Gen. Castro contra hæreses, verb. Anima, hæres. 3. quod corpus Adæ prius fuerit organizatum, ac produ- ctum, quam anima rationali informatum. Imo D. Ambrosius in cap. 3. Luc. Procopius, & alii Procopi notant, quod in creatione hominis, Moyses ma- nus Dei introducit quodammodo laborantes. Sed Deus, qui cuncta in momento creavit, cum ad hominis creationem devenitur, tanta utitur præparatione; ad quid hoc? nisi ut denotetur, quam proprium sit homini, ut ad consummatam perfectionem deveniat, quod prius necesse est, ut



Rupert.

ut gradatim per multas dispositiones ascendat. Rupertus lib. 2. de Trinit. cap. 2. Non dicit Scriptura, inquit, quia dixit Deus: Fiat homo ad imaginem, & similitudinem nostram, & factus est homo; sicut dixit: Fiat lux: & facta est lux. Quare? Videlicet quia non repente, sed opere agendum erat, ut consummatus homo staret ad Creatoris sui imaginem, & similitudinem. Nota illud verbum, Operose agendum erat.

QUESTIO II.

Quare Evangelista notat, quod Nicodemus erat ex Phariseis.

Pharisei nominis etymologia. Albert. Mag. Carthus. Hugo. Lorin.

Luc. 18.

Ioseph.

Act. 26. Syriacus.

Act. 23.

D. Thom.

Educatio in bona doctrina multum valet.

Facile quisque trahitur doctrina quam a pueritia suscepit.

10.

Phariseus à nomine Hebraico *Parasch*, quod significat *separare*: Pharisei enim ab aliis fecerantur legis observatione, & professione Religionis peculiari; erant namque vita, ac moribus Religiosi: ut notant hic Albertus Magnus, Carthusianus, Hugo, Lorinus in *Acta Apostol.* cap. 26. num. 5. Et ideo dicebat alter Phariseus Luc. 18. num. 11. *Non sum sicut ceteri homines.* Significat etiam verbum, *Parasch*, exponere, seu explicare, quia ipsi se legis expostores sapientissimi: & ideo erant à populo separati ob suam eruditionem, & sanctitatem; de quibus testatur Ioseph. lib. 13. Antiquit. cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. *Pharisei tanta apud populum auctoritate valebant, ut iuxta eorum responsa fierent, que ad cultum divinum, & preces solemnes pertinebant, & Pontifex Hircanus populo, cui prius gravissimus erat displicere cœperit, quod ipse ac fratres eius infesti Phariseis essent, Et ideo D. Paulus de se dixit Act. 26. num. 5. Secundum certissimam sectam nostram Religionis vixi Phariseus: seu ut habet Syriacus: Secundum præcipuam disciplinam. Eorum autem doctrina omnino erat opposita Sadduceis; nam Sadducei negabant Angelos, animas rationales esse spiritus, & carnis resurrectionem, quæ omnia admittebant, ac profitebantur Pharisei, ut habetur Act. 23. num. 8. *Sadducei enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum, Pharisei autem utraque confitentur.**

His positis veniamus ad questionem. Ad quam egregie respondet D. Thomas. *Pharisei, ait, magis conveniebant nobiscum in opinionibus, quia credebant resurrectionem, & dicebant, esse aliquas creaturas spirituales: Sadducei vero magis discordabant; quia nec resurrectionem futuram, nec spiritum esse credebant. Et quia opinio Phariseorum probabilius erat magis propinqua veritati, ideo Nicodemus facilius conversus est ad Christum. Multum juvat educatio in bona doctrina & quia Phariseorum secta aliis melior erat, quæ resurrectionis mysterium fatebatur, & de illius spe vivebat, ut dixit Paulus Act. 23. num. 6. quæ omnia erant valde cohærentia, & propinqua doctrinæ Christi. Cum ergo Nicodemus in tali Phariseorum doctrina esset educatus, ideo valde dispositus erat, ut ad Christum veniret, atque cum eo de spirituali regeneratione Dominus ageret. Facile uniusquisque trahitur, ac inescatur doctrinam quam à primo studio à suis maioribus bibit.*

Cum Paulus staret in Concilio coram Principi-

pe Sacerdotum Anania, & ei esset objectum; quod legem Judaicam impugnaret, & in multis aliis accusaretur; exclamavit Apostolus dicens: *Viri fratres, ego Phariseus sum, filius Phariseorum de spe, & resurrectione mortuorum ego iudico, Act. 23. n. 6.* Sed ad quid tantus Doctor tam disertè se Phariseum profiteretur? Circumstantes enim magna ex parte, imo & præcipui, Pharisei erant, & fortasse etiam summus Sacerdos ex illius secta erat. Sibi persuasit bonus magister, quod nihil melius eorum furorem reprimere posset, auditorumque benevolentiam conciliare, quam si dispersa voce testaretur, se Phariseum esse, ac præcipuum fidei mysterium, in lege valde celebratum, de resurrectione prædicare, ac docere; & ita ex convenientia in hoc articulo præcipui assistentes in Concilio ei acquiescerent. Tertulianus lib. de resurrectione carn. cap. 39. *Neque jam, ait, transgressor legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id est, de resurrectione, ad Sadduceos sapere existimatur. Ita quam volebat videri rescindere fidem resurrectionis, utique confirmat secundum Phariseos, respiciens negotiosos eius Sadduceos.*

Magna difficultas est in sacra Scriptura, dum filii Israël computabantur; nam *Genes. 46. num. 27.* dicitur: *Omnes anime domus Jacob, que ingressa sunt in Ægyptum, fuisse septuaginta;* & idem habetur *Exod. 1. num. 5.* Tamen dum magnus Stephanus staret in Concilio, dixit: *Mittens autem Ioseph, accessit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animas septuaginta quinque; & descendit Jacob in Ægyptum, Act. 7. num. 14.* Si filii erant septuaginta, quomodo in Actis superadditur numerus quinque, & dicuntur septuaginta quinque? Questionem late resolvunt D. Hieronymus lib. de translationibus Hebraicis, Hieron. D. Augustinus *quæst. 152. in Genes. & ibi Oleaster, Sa. Corn.* Sa. Cornelius, & alii. Facile tamen nodus extricatur, si dicamus, quod D. Lucas in narrando D. Stephani sermone secutus est lectionem Septuaginta Interpretum. Sed iterum pullulat dubium, cur D. Lucas, cum esset Hebræus, radicem Hebraicam relinquens, Græca exemplaria Septuaginta imitatur? Optima sane ratione hoc fecit sacer Evangelista; scribat enim Genibus, apud quas Septuaginta translatio erat valde celebris, & plausibilis, & ita eorum propensione se accommodans, exemplaria Græca sequitur, ut apud Gentiles lectione sua delictatos Actorum liber magnam fidem, ac auctoritatem retineret. Audiamus Rupertum lib. 11. in *Genes.* cap. 16. *Quod si quaritur, ait, cur sanctus Lucas, qui supradicta scriptor est historia ad Gemes Actuum Apostolorum volumen emittens, non secundum Hebraicam veritatem, septuaginta, sed septuaginta quinque animas, iuxta septuaginta interpretum editionem ingressas in Ægyptum esse dixerit, facilis excusatio est. Non enim debuit aliquid scribere aduersus eam Scripturam, qua jam fuerat aut Gemilibus divulgata; & utique maioris opinionis illo tempore dumtaxat Septuaginta Interpretum habeatur auctoritas, quam Lucas, qui ignotus & non magna fidei in nationibus habeatur. Hoc autem generaliter observandum est, quod ubicunque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis utuntur, qua jam fuerant divulgata in gentibus. Vide lib. 1. cap. 2. n. 29. & 105. & lib. 2. c. 4. n. 79.*

Quæ

QUESTIO III.

Quare hic vir tam sollicitus sue salutis dicitur Nicodemus?

12. Nicodemus quid significet. D. Thom. Bonavent. Salmecron. Alb. Magn. Beauxalm. Arias.

1. Ioan. ult.

Coloss. 3.

Ephes. 5.

Rom. 5.

13.

Exod. 2.

Magis viri nomen non est inane.

August.

Lyppom.

Hic vir tam magnus, dicebatur Nicodemus, & nomen illius magnum gratiæ argumentum prænantabat: semper magna nomina magnam important auriem. *Nicodemus* ergo nomen, si ad Græcam etymologiam referas, victorem populi sonare audies, ut vult D. Thomas, D. Bonaventura, Salmecron, seu, ut vult Albert. Magn. fluxum terrenitatis importat. Si verò ad Hebraicam analogiam redeatis, sanguinem innocentem significabit, ut asserunt Beauxalmes, & Arias in suo *diccionario*. Et hæc omnia Nicodemus valde sunt convenientissima: nam ille populum suum ferum, & infidelem sua probitate, & fide superavit, & vicit. *Hæc de victoria, que vincit mundum, sicut nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei, 1. Ioan. ult. num. 4.* Nicodemus etiam terrena postposuit, & quasi ab eo fluxerunt, & ad studium spiritualium se transtulit. *Quasi sumus sumus, sapite, non quasi supra terram, ad Coloss. 3. n. 2.* Et etiam innocentem sanguinem per Christum nactus est, & ejus immaculato sanguine purificatus. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aque in verbo vite, ad Eph. 5. n. 25.* Iustificatus sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum, ad Rom. 5. n. 9.

Nicodemus nomine suo, tanquam bono omnino multis felicitates denuntiabat, victoriam de faculo, contemptum de terrenis, triumphum de inimicis, dum Christi sanguine mundatur. Cum filia Pharaonis est flumine eduxisset puerum, vocavit nomen *Moyse*, dicens, quia de aqua tali eum; *Exod. 2. n. 10.* Sed postquam infans à periculo liberatur, & Moyse dicitur, id est, extractus ab aqua, jam ipsum nomen erit vacuum, & nil amplius significabit: Absit quoddam tantum nomen sit inane, sed gloriosam victoriam denotabit, quam populo suo est assecutus, dum diviso mari Rubro, eum veluti ab aquis eduxit per siccum, submerso inimico Pharaone. Quod eleganter ponderavit D. Aug. *serm. 79. de tempore. A fluctibus denique ait, mystica lingua Moyse nomen accepit, & Pharaonis necem, quam preparaverat in nomine, in flumine maris invenit. Preme illud, preparaverat in nomine; semper iusti nomen plenum est bono omine, & auspicio, ac præclarum triumphum de hoste reportandum innuit. In rem præsentem fatur Lyppomanus, Nomina infantibus, ait, imponuntur, non importune, ab eventibus. Et externis rebus aliquid præfiguratur à providentia Dei. Aquis extrahitur, qui filios Israël de aquis tribulationis erant liberaturus, & per mare sicco pede educturus. Vide lib. 1. c. 1. n. 83. & lib. 2. c. 4. n. 24. & 43.*

QUESTIO IV.

Quare Nicodemi principatus memoratur?

14.

Ut veritas historiarum pateat, ideo Evangelistam tam minutim omnes circumstantias describit: nam sicut mendacium confusionem quæstionem in Evang. Tom. II.

rit, ita veritas eam respicit. Inter hujus viri qualitates ab Evangelista notatas dicitur, quod erat *Princeps Judæorum*. Qualisnam esset ejus principatus, dubitari potest, nullus enim in Judaica republica dicebatur Princeps, qui aliis tanquam Rex, & dominus imperaret, nam tota respublica sub imperio Romano subiacebat.

Multipliciter aliquis dicebatur Princeps in populo. Primò, qui alicujus familiæ erat caput; nam Israëliticus populus in duodecim Tribus erat divisus, unaquæque Tribus in familiis: qui autem alicujus familiæ erat caput, dicebatur Princeps, *Num. 7. n. 2. ut dixi lib. 2. c. 4. q. 19. n. 71.* Secundò dicebatur Princeps, qui rei publicæ administrationi præerat, ut vult Budæus in *com. ling. Græca*, ac proinde qui de magno Concilio legum, judiciorum, ac gubernationis erat, Princeps etiam dicebatur. Tertio etiam hoc nomine honorifico erat insignitus, qui alios scientia, nobilitate, & opibus præcellerat. Et secundum unamquamque ex his considerationibus quilibet in Evangelio dicitur Princeps, ut notat Lorin. *c. 4. Act. 2. 5.* Tamen meo iudicio, Nicodemus secundum omnes Principes appellatur: nam ipse erat alicujus familiæ caput, ut communitur consentiunt recentiores; ipse assistebat republicæ regimini, & ideo restitit Judæorum furori circa Christi comprehensionem, & dixit Pontificibus Joan. 7. n. 50. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso; & cognoverit, quia faciat?* Erat etiam Nicodemus eminens scientia, & ideo Christus Magistrum appellavit infra: *Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras?* Erat valde primus nobilitate, & divitiis, & ideo venit ad sepeliendū corpus Jesu ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centū, *Ioan. 19. n. 39.*

Dicitur autem Nicodemus Princeps Judæorum, quia, ut ait Tolet. in *com.* ipse erat de tribu Juda. At hæc conjectura est frivola, quia Principes Judæorum, erant capita familiarum, ut constat *ex c. 26. Num. & notat Abulensis 2. Paral. 5. q. 6. & 7.* Sicut etiam septuaginta viri, quos Moyse elegit, & constituit Principes populi, erant ex cuncto Israël, *Exod. c. 18. n. 25.* Quæstio præterea est, quare Evangelista notat, quod Nicodemus esset Princeps.

Respondet primò Albertus Magnus, *Quod dicitur Princeps, ut commendetur cetera sapientia, & scientia viri. Mal. 3. 2. n. 5. Non vocabitur ult. a is, qui insipiens est, Princeps, Secundò Divus Thomas, & est valde germana ratio, A principio, ait, licet Dominus non elegerit sapientes, potentes, aut nobiles, ne virtus fides sapientia, & potentia humana attribueretur, 1. Corinth. 1. n. 26. Voluit tamen aliquos sapientes, & potentes à principio ad se convertere, ne si doctrina sua solum ab ignobilibus, & insipientibus reciperetur, haberetur contemptum. Cum enim Dominus prævideret, quod Judæi dicituri erant: Nunquid aliquis ex Principibus, aut ex Phariseis credit in eum? Joan. 7. n. 47. Ut ita ejus doctrina esset in magno respectu, & veneratione Principes populorum congregati sunt cum Dio Abraham Palm. 46. n. 20. Tamen Dominus, ut notat D. Thom. non voluit efficaciter multos potentes esse convertos, ne sapientia, aut potentia fides ejus adscriberetur. Tertio Hugo, dicitur Princeps, ut annuat Evangelista, qua fuerit occasio pusillanimitatis ejus in fide, quam per miracula accepit, describit eum, quod Princeps erat Judæorum, ne facile relinqueret fastum principatus, venit ad Iesum nocte.*

15. Quis in populo Princeps dicitur.

Lorin.

16. Nicodemus multipliciter Princeps. Tolet. Abulens.

17. Alb. Magn. Mal. 3. 2.

D. Thom.

1. Cor. 1.

Præventus malevolentium oras Joan. 7.

Palm. 46

Quart